

Cum opus, cui titulus: *Philosophia Peripatetico-Scholastica*, etc. a P. Michaele De Maria nostrae Societatis Sacerdote, aliqui eiusdem Societatis Theologi, quibus id commissimus, recognoverint, et in lucem edi posse probaverint; facultatem damus ut typis mandetur, si iis ad quos pertinet ita videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Neapoli, 15 April. 1892.

L. S.

CAROLUS GALLUCCI S. J.
Praep. Provinciae Neapolitanae.

IMPRIMATUR

Fr. Raphael Pierotti O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Julius Lentı Patriar. Constantinop. Vicesgerens.

PHILOSOPHIA NATURALIS

PARS PRIMA

DE MUNDO SEU COSMOLOGIA

PROOEMIUM

COSMOLOGIAE DEFINITIO. Si vocabuli significatio spectatur, Cosmologia idem est ac sermo de mundo. « Quem Graeci, ait Plinius, *κόσμος* nomine *ornamenti* appellavere, eum et nos a perfecta absoluteque elegantia *mundum* dicimus » (1). Quare Cosmologia secundum rem per nomen significatam defini solet: *Scientia quae tractat de ente corporali et sensibili seu mobili*. Obiectum ergo materiale istius scientiae est mundus visibilis: obiectum formale ex adverso habetur a diverso gradu abstractionis sub quo ipsa res corporatas et mobiles considerat, quemadmodum a nobis explicatum est in Logica maiori (2). Iam vero si nomine mundi adspectabilis intelligitur universitas rerum visibilium, quae caelo terraque continentur, sensusque nostros percellunt, tunc Cosmologia ipsam complectitur Anthropologiam seu scientiam de homine, quia homo inter res visibiles et entia mobilia recensetur. Mos autem invaluit, hominis scientiam a ceterarum rerum mundanarum scientia secernere, et Philosophiam naturalem dividere in duas partes, nempe in Cosmologiam et Anthropologiam, seu in scientiam de mundo, et de homine. In hoc contractiori sensu Cosmologia de illis substantiis mobilibus disputat quae nullo modo ad perfectionem substantiae immaterialis pertinent, ideoque

(1) *Hist. nat.* lib. II, cap. IV.

(2) Cf. quae disseruimus *Log. mai.* q. 6, a. 2, pag. 306.

disserit de corporibus inanimis, et de viventibus vegetativis et sensitivis.

Ordo et ratio nostrae tractationis. In Cosmologia tradenda, quae primam partem constituit philosophiae naturalis, ut ordini et perspicuitati serviamus, primo dicemus de corporibus generatim inspectis, et deinde de corporibus viventibus. Et quoniam scientia quaelibet procedere debet ex propriis principiis et causis rei sibi subiectae; ad veri nominis scientiam de mundo assequendam, causas corporum diligenter indagare et cognoscere satagemus. Causarum autem genera sunt quatuor, ut demonstratum est in Philosophia prima, nempe materialis, formalis, efficiens et finalis. De istis ergo causis rerum corporatarum nonnulla attingemus; ita tamen ut in singulis quaestionibus exempla Stagiritae et Aquinatis prae oculis habentes, experientiam cum ratione componemus. Siquidem ad causas naturae corporalis detegendas opus est tum experimento ut facta explorentur, tum ratione ut factorum determinentur, ac cognoscantur causae. Istius methodi neglectus in causa fuit, cur nonnulli philosophi multiplicibus et inter se oppositis erroribus obnoxii fuere. Rationalistae enim et Ontologi, posthabita observatione et experientia, commentitias hypotheses omnique veritate ac realitate destitutas in medium protulere. Empirici ex adverso de sola factorum observatione, enumeratione, coordinatione solliciti, rerum causas et naturas nullo pacto scrutati sunt illarumque investigationem vanam et perniciosam dicitarunt, ideoque omnem pene scientiam subverterunt.

Huius scientiae utilitas. Quanti momenti sit, quantaque utilitatis consideratio naturae corporalis sapienter admodum declaratur a Doctore Angelico, qui pluribus argumentis confirmat, meditationem rerum a Deo conditarum esse quam maxime accommodatam, immo necessariam tum ad fidem de Deo instruendam, tum ad errores, qui circa Deum versantur, profligandos (1). En paucis quae Sanctissimus vir hac super re disputat. Divinorum factorum consideratio necessaria est ad fidem de Deo instruendam: 1° Quia ex factorum meditatione divinam sapientiam admiramur, nam quae per artem fiunt, sunt repraesentativa ipsius artis, quandoquidem ad similitudinem artis condita sunt. Deus autem Artifex sapientissimus res sua divina sapientia molitus est, eisque quamdam sui similitudinem impressit. 2° Haec consideratio homines perducit ad cognitionem altissimae Dei potentiae ac virtutis; virtus quippe operantis eminentior nobiliorque optime ex rebus factis intelligitur. 3° Haec consideratio ad amorem divinae bonitatis homines inflammat. Siquidem quicquid bonitatis et perfectionis in creaturis divisum et distributum est, in Deo reperitur adunatum sicut in fonte totius bonitatis. Si ergo bo-

(1) *Contra gent.* lib. II, cap. II et III.

nitas creaturarum ad se animos allicit ac devincit, tanto magis fons infinitus ipsius bonitatis comparatus rivulus, qui in creaturis sunt, animos amore inflammatos ad se trahit.

Quae autem spectant ad errorum circa fidem destructionem sic explicantur ab eodem Doctore Angelico. Errores circa creaturas saepe a fidei veritate abducunt, secundum quod verae Dei cognitioni repugnant. Hoc autem multipliciter evenire potest: 1° Ex eo quod ignorantes creaturas constituunt Deum et primam causam id quod esse nequit nisi ab alio; et sic quidam philosophi commenti sunt, Deum esse corpus. 2° Eo quod ex creaturarum ignorantia creaturis attribunt, quod est Dei proprium; et sic errant, qui vel creationem, vel futurorum cognitionem, vel miraculorum effectiorem adscribunt rebus creatis. 3° Ex eo quod virtuti divinae in creaturas operanti ex creaturarum ignorantia aliquid detrahitur; et sic errant qui duo rerum principia adstruunt, vel teneant, res procedere a Deo necessitate naturae, non ex proposito voluntatis, vel denique divinae providentiae aliqua subtrahunt. Ex his capitibus cuilibet consideranti innotescit, errores circa creaturas falsam pravamque progignere Dei cognitionem, et homines a Deo abducere, ad quem fides dirigit atque ordinat.